

Epistola Patris Caroli Garnier ad Reverendissimum Patrem Vincentium Caraffa, Præpositum Generalem Societatis Jesu, Romæ.

**R**EVERENDE ADMODUM IN CHRISTO PATER  
Pax Christi

Quam lætus nobis fuit hic nuntius de mandata Paternitati vestræ ab optimo Domino, Societatis suæ cura, tam jucundæ nobis fuerunt quas ad nos scribere dignata est litteræ, quibus paternam in nos etsi longissimè remotos filios amorem suum testificari nobis gravata non est, quibusque tantopere nos hortatur ad strenue laborandum in vineâ Domini. Profecto non mediocriter [animum] nobis augeri sensimus, quotquot hic sumus paterna illa suâ exhortatione. Neque id quidem mirum cuiquam videri debet, quam enim paternum Paternitas Vestra in Societatis filios amorem sentit et ostendit, tam pium et liberis Societatis dignum, in Societatem, ejusque superiores animum gerunt quotquot hic degunt è nostris, tantumque abest ut quod nonnulli fortè in Galliâ sibi persuadere possent, nescio quid inertiae et libertatis ab iis quæratur, qui in has regiones veniunt, ut potius audeam affirmare me nullibi in Galliâ tam genuinum (quantum judicare possum) Societatis nostræ spiritum agnovisse, quam hic agnosco in nostris